





*F. 222. num. 27.* ✓ 262.  
144 QVOD DEUS BENE VERTAT!

*EX*

Magnifici & Nobilissimi JCtorum in

inclusa hanc Salanam Ordinis consensu

& decreto

SUB PRÆSIDIO

Viri Nobilissimi, Amplissimi, Consultissimi

& Excellentissimi

# DN. JOHANNIS STR AUCHII,

Phil. ac J. U. D. & Antecessoris Juridi-  
cæ Facultatis celeberrimi, Consiliarii Saxonici gravis-  
simi, Curiæ Provincialis & Scabinatus Adsefforis di-  
gnissimi, & hoc tempore Decani spe-  
ctatissimi

Domini, Patroni & Preceptoris sui omni honoris  
& reverentia cultu etatem prosc-  
quendi

## DEFENSIONEM NECES- SARIAM

Pro summis in utroq; Jure honoribus DOCTORALIBUS,  
insignibus & privilegiis consequendis

In JCtorum Acroaterio ad diem Januarij, publica litera-  
torum censuræ fuit

CHRISTIANUS CAROLUS Schalling/  
Altenburgensis Misnicus.

JENÆ, TYPIS GEORGII SENGENVAL.  
*Anno M. DC. LVI.*



Geod Peas Penn aerata

Mesing & Nopilic in Gottingen

richtig preisgünstig Oderne Confeur

gezogen

zu den 100

Worthermuths Schriften D. G. M. L.

ausserdem ein

**DN. IOHANNIS**

**S. P. AUCHII.**

P. II. S. I. D. G. A. H. C. T. O. L. M. I. B.

1. Einleitung der Reformation. Confessio Augustana.

2. Einleitung der Reformation. Confessio Augsburg.

3. Einleitung der Reformation. Confessio Confessio.

4. Einleitung der Reformation. Confessio Confessio.

5. Einleitung der Reformation. Confessio Confessio.

6. Einleitung der Reformation. Confessio Confessio.

7. Einleitung der Reformation. Confessio Confessio.

8. Einleitung der Reformation. Confessio Confessio.

9. Einleitung der Reformation. Confessio Confessio.

10. Einleitung der Reformation. Confessio Confessio.

11. Einleitung der Reformation. Confessio Confessio.

12. Einleitung der Reformation. Confessio Confessio.

13. Einleitung der Reformation. Confessio Confessio.

14. Einleitung der Reformation. Confessio Confessio.

15. Einleitung der Reformation. Confessio Confessio.

16. Einleitung der Reformation. Confessio Confessio.

17. Einleitung der Reformation. Confessio Confessio.

18. Einleitung der Reformation. Confessio Confessio.

19. Einleitung der Reformation. Confessio Confessio.

20. Einleitung der Reformation. Confessio Confessio.

# I. N. J.

## THESSIS I.

**T**RACTATURI DIVINÂ FAVENTE GRATIÂ MATERIAM DEFENSIONIS NECESSARIÆ MULTA DE CJUS UTILITATE & NECESSITATE IN PRÆSENTIARUM PROFERRE, OPERÆ PRETIUM NON PUTAMUS; CUM VINO VENDIBILI NON OPUS SIT SUSPENSÂ HEDERÂ.

## II.

OMISSA AUTEM NOMINIS NOTATIONE, QUÆ ANTÈ SATIS CLARA, AD CONSIDERATIONEM REI NOS CONFERIMUS, QUAM A DEFINITIONE EXORDIMUR. OMNIS ENIM, INQUIT CICERO LIB. I. OFF. IN PRÆ. QUÆ RATIONE INSPICITUR DE RE ALIQUA INSTITUTIO, DEBET A DEFINITIONE PROFICIENDI, UT INTELLIGATUR, QUID SIT ID, DE QUO DISPUTETUR. EAM AUTEM CUM DOCTORIBUS EX L. 3. FF. DE J. & J. EXTRUIMUS TALEM: QUOD SIT VIS ATQUE INJURIA IMMINENTIS VEL ILLATA MODERATA PROPULSATIO, JURE OMNIBUS PERMISSA ATQ; INJUNcta.

## III.

PROGREDEREMUR STATIM AD DIVISIONEM, NISI UNICUS SCRIPULUS RESTARET REMOVENDUS. DIXIMUS ENIM IN DEFINITIONE: VIS ATQ; INJURIA. QUÆ VERBA UTRÙ COPULATIVÆ AN DISJUNCTIVÆ SINT ACCIPIENDA, DD. NON UNA EST SENTENTIA. NOS CUM BR. IN L. 3. FF. DE J. & J. N. 5. AFFIRMAMUS POSTERIUS. IDQ; I. IDEO, QUIA ETIAM VIS SINE INJURIÀ RECTE PROPULSARI POTESIT, PROUT VIDEMUS IN MENTE CAPTIS, NOCTAMBULONIBUS & FURIOSIS. QUAMVIS ETENIM HI, CUM SANÀ RATIONE & MENTIS JUDICIO CAREANT. §. 8. INST. DE INUTIL. STIPUL. INJURIAM NON FACIANT. L. 3. §. 1. FF. DE INJUR. VIM TAMEN FECISSE NEGANDI NON SUNT, & IDEO NIL PRÆPEDIT, QUOMINUS, SI INSULTUM IN NOS FACIANT, NOS CONTRA ILLOS DEFENDERE, & SI ALITER SISTERI NON POTESIT, EOS IMPUNE OCCIDERE QUEAMUS. CONSTAT ENIM ADVERSUS OMNEM VIM VIOLENtam LITICAM ESSE DEFENSIONEM, PER GENERALITATEM TEXTUS IN L. 45. §. 4. FF. AD L. AQUIL. L. 3. FF. DE J. & J. & BR.

A 2

ad

*ad l. 3. n. 5.* Jam si adversus omnem vim defensio est permissa, sequitur etiam adversus eam, quæ sine injuriâ facta est, qualis, ut iam dictum, furiosorum esse solet, concessam esse. Non enim inquit *Obrechtus tr. de necess. def. c. 6. n. 57.* defensio requirit vim faciendi sive injuriandi propositum, sed sufficit vis, sive ex proposito inferatur, sive absque eo, modô justè propulsetur. Semper enim defensio conceditur, ubi adeat violenta invasio. *Vischer tr. de duello improv. membr. i. lit. e.* N. O. quod hi vitio offensionis careant. Resp. enim cum *Bl. ad l. 1. C. unde vi. n. 50.* id non vitio offensionis, sed naturâ defensionis contingere. Et hîc non causam secundariam, sed principalem intentionem defendantis, quæ ex naturali ratione adversus periculum s. ab homine, eôq; vel sanæ mentis, vel insano, s. à bestiâ creatum, ad propriam salutem conservandam directa est, inspici debere tradit *DN. Theodor. in coll. crim. disp. II. th. 1. lit. F.* Et quamvis II. non negem, quod objici solet, propriam vocabuli *Atque* indolem ac naturam esse, ut verba conjugat, & utrumq; fieri velit, idq; tam in ultimis voluntatibus & pen. *Inst. de hered. inst. l. 2. ff. de condit. inst.* quam in edictis & legibus & in præceptis Magistratum observari solere tradit *Gaddæus ad l. 53. ff. de V. S. n. 2.* non tamen & hoc negari poterit, nec potest, sapè in Jure nostro ita comparatum esse, ut conjuncta pro disjunctionis accipiatur, uti patet ex *l. 53. pr. ff. de V. S. & rubr. de J. & f. ignor. quoties sc.* vel injurya loquentis vel brevitas causa conjunctiones aut omnino omittuntur, aut non in suâ propriâ significatione ponuntur: Utrumq; inquit *Gaddæus d. locô*, non solùm Latinis, verùm etiam Græcis, imò Germanis & omnibus penè populis usitatum est. Absurdi enim vitandi causâ sapissime fieri solet, ut non tam sermonis proprietas, quam idonei sensus aut recta juris ratio attendatur. *l. 10. ff. de usu & usufr. legat: l. 7. ff. de supell. leg.* Et si juxta *Nicol. Everhard. in top. leg. loc. à nat. copul. in pr. vocula Atque* in favorabilibus amplificatiè, in odiosis verò copulatiè accipienda venit, rectè & hîc amplificatiè accipimus, cù in materia versemur omnino favorabili. Malè g. faciunt, qui verba hæc de defensione adversus injuriosam tantum, non verò quamcunq; violentiam exaudienda, & copulatiè accipien-

da

da esse statuunt. Nec juvat ipsos l. i. ff. de tutel. & s. i. inf. cōd. quos textus pro stabiliendā ipsorum opinione adducunt & quemadmodum ibi verba. Vis ATQVE POTESTAS, de violentā potestate accipiuntur; ita etiam hīc de vi injuriosā verba hēc accipiendā volunt. Verūm Resp. sicut ibi planē nullus sermo de potestate prout illi exponunt, violentā est, Pupilli enim, licet in potestate, tutorum esse dicantur, ea tamen non violenta, vel propriē, sed tantūm analogicē dicta potestas dicenda est. Manent enim pupilli sui juris, nec statum immutant; ita nec hīc de vi injuriosā tantūm sermo esse potest.

IV.

Prout autem vis infertur vel personis vel rebus; ita etiam defensio ratione objecti in personalem & realem non incommodè dispescitur. Personalem dicimus, quando vel propriam nostrām personam vel alienam contra vim, eamq; vel imminentem vel illatam defendimus. Realem, quando à rebus & bonis vel nostris vel alienis vim propulsamus & repellimus.

V.

Utramq; hanc defensionem tam Jure divino, quam naturali & humano suscipi posse adserimus.

VI.

Et quidem Jure divino I. per c. Exod. 22. v. 2. ubi talis lex exstat: si effringens vir domum in ipsā perfosione vel cum instrumento perfosorio deprehensus fuerit, & accepto vulnere moriatur, percussor non erit reus sanguinis. Præsumitur enim inquit B. DN. D. Gerhardus in loc. Theol. rom. 6. loc. de Magistr. pol. §. 378 p. m. 1142. & 1143. animo grassandi venisse, ideo conceditur adversus ipsum defensio. Quod si pro rebus licita est defensio (nec enim fur nisi ad surandum venit c. 3. X. de homicid.) quanto magis id permisum erit pro defensione corporis, cum nulla sit rerum ad hominem proportio. DN. Arumentus b. m. dis. ad π. 1. θ. 1. q. 2. N.O. dictam legem Judicialē in N. T. nos non obligare. Resp. licet non obliget, recte tamen inde sumi hanc dijudicationem, qua leges politicae consentiant juri naturæ & legi æternæ. Praelaudatus DN. Gerhardus d. loco. II. Gen. 14. v. 15.

Ubi adhuc ante legem Mosaicam casus necessariae defensionis legitur. Ibi enim Abraham, qui tamen peregrinus in terra Canaan, nec Magistratus erat, nec ullam in Sodomis habebat potestatem, ad defensionem Lothi nepotis sui armat familiam, hostes insequitur, eosdem trucidat, & Lothum ac reliquos captivos liberat, eamq; victoriam Melchisedech Sacerdos Altissimi non solum summè depraedat, sed etiam ipsi victori magnificè benedicit. Jam si ex præcepto de dilectione proximi manifestam violentiam à proximo depellere possumus & debemus, utiq; ex eod. præcepto proprii corporis defensionem suscipere rectè poterimus, quia charitas incipit à se ipsâ, & lex dicit: proximum tuum sicut te ipsum diliges. III. Quid volunt gladii discipulorum Christi? nihil sane aliud, quam defensionem sua salutis illicitam non esse. In alium enim finem, quamut se à vi defenderent, si gestassent, Christus nunquam admisisset. IV. Per generalitatem quinti Decalogi præcepti: non occides. Quod cum omnibus & singulis hominibus datum sit, eô ipso, dum omnibus datum est, & alios occidere prohibet, nobis ipsis vitam & salutem nostram posthabere non præcipit. Omnis enim ordinata charitas à seipsâ incipere debet. l. 6. C. deservit. & ag. & major estimatur crudelitas in seipsum, quam in alium delinquere N. O. I. Deuter. 32. v. 35. Rom. 12. v. 17. & 19. & Ebr. 10. v. 30. ubi dicit Jehova, nolite malum pro malo reddere & vosmetipos defendere: mihi enim vindicta, ego retribuam. Quibus textibus expressè videtur prohibitum, ne contra proximum nos defendamus & tueamur. Resp. ad tex-tuum oppositorum primum & ultimum, eos de defensione pri-vato concessâ planè non loqui, sed tantum de cā vindictâ, quæ DEO & Magistratui competit. Ad secundum dicimus. Errorem esse in minus propriâ antiquâ translatione vocabuli *cōdignitatis*: quam ( vindicantes ) Erasmus & alii propriè reddiderunt. Eò enim in loco tantum vindictâ privatâ erga proximum exercendâ studium redargui & vetari, non verò defensionem necessariam. Id quod verba subsequentia satis clarè innuunt: quando Apostolus inquit, scriptū inest enim, mihi vindicta, ego retribuam. N. O. II. Matth. 26. v. 52. ubi Christus Petro

Petro gladium vagina reddere mandat. Resp. enim ibi agit  
itidem de vindicta privatâ, & prohiberi, ne quis non vocatus  
propriô & temerario ausu & vindicta studio gladium sumat.  
**N. O. III. Matib. 5. vers. 39.** ibi: nolite resistere malo, sed si quis te per-  
cussit in dextram maxillam tuam, præbe illi & alteram. & vers. 44.  
diligite inimicos vñfros, benefacite his qui oderunt vos. Dicimus e-  
nîm verba Christi ibi non absolute sed comparatè esse accipi-  
enda. Christus enim ibi omne malum perferendum non sim-  
pliciter præcipit, sed loquitur tantum ad privatos, qui tunc  
temporis propter professionem doctrinæ sua patabantur per-  
secutionem vers. 11. & illis copiosam in cœlo promittit retrac-  
tionem. Interet hortatur eos ad patientiam, & sedulò mo-  
net, ne ex privata vindicta cupiditate quicquam agant, sed po-  
tius inimicos suos diligent, illisq; qui oderunt eos, benefa-  
ciant, orent pro peregrinibus & calumniantibus eos. vers.  
44. ac ab omni privatâ vindictâ tam remotos & alienos esse  
vult, ut malint potius percussori alteram maxillam præbere,  
quam seipso ulciscantur. **d. B. Gerhardus** d. loc. §. 278. p.m. 976.  
non autem prohibet, quando potest haberi legitima defensio  
à Legibus, Judiciis & Magistratibus, quò minus rectè usurpe-  
tur. **B. DN. D. Chemnitius**. part. 2. loc. Theol. super loc. de vindictâ p.m.  
150. Nec Christus suo Evangelio, inquit Harprecht. ad §. Inst. de  
publ. jud. §. n. 112. abolet Jus naturæ & vinculum politicae socie-  
tatis h.e. Leges rectæ rationi consentaneas, sed Christus eō do-  
ctrinam & leges morales & naturales per tenebras peccati ori-  
ginalis obseuratas explicat & verum usurpationis modum  
præscribit. **d. B. Chemnitius**. Nec ulla est consequentia: Defen-  
sio est licita. E. defensio adversatur præcepto de diligendis ini-  
micis, & charitatis regulam tollit. Diligere enim inimicos  
non est eorum sclera adprobare vel juvare, sed eō ipso, dum  
corum sclera non adprobamus & juvamus, dilectionem exer-  
cemos. Dilectio enim defensio & punitio nequaquam interfe-  
pugnant. **Didac. Covarruv. in clem. si furiosus**. §. nn. text. part. re-  
lett. n. 1. Et ideo, qui legitimo modo perversos hominum cona-  
tus impedire studet, charitatis regulam non evertit. **D. B. Che-  
mnitius** d. part. 2. Harprecht. d. §. 5. Inst. de publ. judic. n. 114. & seqq.

VII.

## VII.

Progressum nunc facimus ad Jus naturæ. Illò autem jure  
 licitam quoq; esse defensionem probatum damus. I. ex Cicero-  
 ne, quando pro Milone inquit: *Et hac non scripta, sed naturæ lex est.*  
*Quam non didicimus, accepimus, legimus; verum ex naturâ ipsa arri-  
 priimus, huius, expessimus. Ad quam non docti, sed facti; non inspi-  
 rati, sed imbuti sumus: ut si vita nostra in aliquas infidias, si in vim, si in  
 tela, aut larrowum, aut inimicorum incidisset, omnis honesta ratio  
 esset expedienda salutis. Silent enim inter arma leges, nec se expecta-  
 ri jubent, cum ei, qui expectare velit, antè iusta pena luenda  
 sit, quam justa reperenda.* Et 1. off. pr. omni animantium generi  
 à naturâ tribuum est, ut se, vitam, corpus, tueatur, declinet, ea, que  
 nocitura videntur. Et teste Plinio, si vis inferatur, nullum sit, cui  
 non sit ira & prompta ad se defendendum alacritas. Intuea-  
 mur leonis robur, apium aculeum, tauri nascentia cornua.  
*Quid sunt nisi arma ab ipsâ naturâ, in hoc, ut iis se defendant,*  
 data. II. Probamus ex l. 4. ff. ad l. Aquil. ibi: *adversus periculum*  
*naturalis ratio permitit se defendere.* III. ex l. 45. §. 4. ff. d. tit. ibi:  
*omnes leges, omniaq; jura.* Hinc inferimus: Si omnes leges, & o-  
 mnia Jura. E. & jus & lex naturæ. IV. clem. pastoralis vers. care-  
 rum, de sent. & re judic. ibi: *qua* (puta defensio) provenit à Jure na-  
 turali, & can. 7. dist. 1. V. l. l. §. 11. ff. ad l. Aquil. ex quâ adpareat,  
 defensionem quoq; cœteris animantibus nobiscum commu-  
 nem esse. Ea verò quâ nobis cum brutis sunt communia, Ju-  
 ris naturalis sunt. Naturale enim jus est, quod natura omnia  
 animalia docuit. l. 1. ff. de J. & J. E. Dictis N. O. præceptum  
 Juris naturæ esse: *alterum non ladas.* Ex quô colligi posse vide-  
 tur, si permitta est defensio, quâ fit cum alterius interitu, Jus  
 naturæ mutari videtur, quod tamen absurdum. Resp. Distin-  
 guendo inter mutationem ipsius Juris naturæ, & mutationem  
 objecti, de quô est Jus naturæ. Ipsum jus naturæ non mutatur,  
 à parte tamen objecti s. rei circa quam statutum est, mutatio  
 interdum intervenit, quando sc. propter adventum circum-  
 lantia extrahitur objectum è numero eorum, qua lex com-  
 prehendebat, & tunc sine ullâ legis naturæ verâ mutatione, lu-  
 mine rationis dictante & interpretante, id cōd. jure naturæ  
 justum

justum est, quod alias non considerata illâ circumstantia esset  
injustum. Nobilissimus DN. D. Struv. P. hic loci P. celeberrimus,  
Patronus & Preceptor meus sanctè semper habendus, in edit. poster. ex-  
eredit. i. th. 59.

### IIX.

Cum igitur, prout demonstratum, defensio & Juris Divi-  
nitatis & naturæ fundamentis nitatur, eam nec à Papâ, nec Impera-  
tore, nec alio Principe. elem. pastoralis. de sent. & re jud. Hippol. de  
Marfil. in pr. crim. §. quoniam. n. 76. Prosper. Farin. part. 5. oper. crim.  
g. 125. n. 12. nec etiam à statuto aut consuetudine tolli posse, ad-  
fero cum DN. Carpz. pr. crim. part. 1. q. 28. n. 7. Quia si Principi,  
utpote qui plus potest, tollere non licet, multò minus legi vel  
statuto, quod minus, licebit, & quia Jus naturale semper firmum ac immutabile sit, idcirco quod eod. jure competit, id  
alicui afferri nequeat. §. pen. Inſt. de J. N. G. & Civ. hancq; ad-  
assertionem nostram etiam tunc procedere dicimus, quando re-  
scripto vel statuto simpliciter nullâ doli mentione factâ, gene-  
ralis hæc clausula: *eum qui hominem occiderit, pœnâ ultimi supplicii*  
*affici debere*, additur. Ut ut enim verba hæc generalia sint, ita ta-  
men, ne rationi contrariantur vel iniquitatem sapiant, intelli-  
genda sunt. Lex enim debet esse honesta, justa & rationabilis.  
can. 2. diſt. 4. Et licet interdum videatur, statutum tollere de-  
fensionem, id tamen tantum secundum Et. in c. à nobis. de except.  
intelligendum de defensione civili, quatenus scilicet ea de  
Jure civili confirmata & adprobata est. Cui calculum adjicit  
Hippol. de Marfil. adl. 2. C. de fiscar. n. 6. & pr. crim. §. quoniam. n. 78.  
& seqq. licet, inquietus, in causâ civili & pecuniaria princeps possit tol-  
lere defensionem de plenitude potestatis: idem tamen in causâ crimi-  
nali non posse.

### IX.

Jus naturæ ordine nunc excipit Jus gentium, de quo de-  
fensionem itidem concessam esse probat I. Livius, ita Jure gen-  
tiuum couprobatum esse, inquietus, ut arma armis propulsentur.  
II. Cicero pro Milone. Vim vi repellere licere, ipsius naturæ vo-  
ceri & omnium gentium legem esse. N. O. supra dictum suis-  
se, defensionem esse juris naturalis. Ea vero, quæ Juris

naturalis sunt, non posse esse Juris gentium. Resp. enim cum  
DN. Araneo p. m. diff. ad π. 1. q. 1. nihil facilius esse, quam dare  
huic rei convenientem ordinem. Quando enim Paulus in d. l.  
45. §. 4. ff. ad l. Aquil. vim vi repellere omnes leges, omniaq. ju-  
ra permitunt, inquit, in genere tantum proponit defensio-  
nem, quæ postmodum ad omnes suas species redigi debet. Est  
e. defensio juris naturalis resp. solius instinctus naturalis,  
juris autem gentium resp. moderaminis inculpatæ tutelæ, sive  
intuitu rationis naturalis, quâ suadente & impellente con-  
tra vim illatam homo se defendit, sive ab homine s. à bestiâ vis  
inferatur. Quô observatô respectu defensio tñm naturalis,  
quam gentium Juris rectè dici potest.

X.

Sistit se nunc j̄s civile, simulq; adducit & adserit d. l. 3. ff.  
de J. & J. l. 45. §. 4. ff. ad l. Aquil. l. i. C. unde vi. l. 3. C. ad l. Cornel.  
de sicar. idq; ideo, ut defensionem nostram suam quoq; faciat,  
non quidem, ut defensionem jure naturæ & gentium satis jam  
fatis firmatam confirmet, vel ipsi formam addat (cum si mode-  
ramen istud, prout est, de Jure gentium est, non posset non esse  
forma quædam necessariæ defensionis ab eōd. Jure gent. in-  
venta. Origo enim sine formâ esse non potest. Jam autem ab eō  
jure istiusmodi forma inventa est. E. nullâ ratione dici potest,  
quod propter moderamen inculpatæ tutelæ defensio ad for-  
mam reducta sit de jure civili, quippe cum inventum juris gen-  
tium non sit inventum juris civilis. Vid. DN. Petr. Theodor. in  
coll. crim. auct. diff. 7. th. 1. lit. F. vers. quod a. defensio, quæ fit cum  
moderamine) sed tantum, ut defensionem jure naturæ & gen-  
tium introductam adprober, eamq; melius ac dilucidius ex-  
plicet. Et hōc sensu defensio juris civilis dicitur. Non enim  
est infrequens in jure nostro, cā, quæ origine juris naturalis  
vel gentium sunt, ob comprobationem à jure civili factam, di-  
ci quoq; civilia posse. §. vendite. 41. Inf. de R. D. Vid. Bocer. tr. de  
bello & duello. lib. 2. c. 10. n. 19. 20. & 27. Nечисъ, qui con-  
trarium adeoq; defensionem Jure civili non esse necessariam  
statuere adamant, moti l. 21. C. mandati. ibi: nam sūe quisq; rei  
moderator atque arbiter. Verum resp. rerum quidem sūarum

quem-

quemlibet esse moderatorem & arbitrum, sed non membrorum & corporis l. i. pr. ff. adl. Aquil. Deinde procedit modo id fiat sine legis offensione. Reipl. enim interest, ne quis resuâ male utatur. §. 2. Inst. de his, qui sui vel alieni. N. O H. volenti non fieri injuriam. l. i. §. 3. ff. de injur. Resp. voluntatem nostram ad Jus divinum & bonum reipbli., cuius maximè interest hominibus idoneis civitatem & ordines quosq; iis abundare. l. generaliter. 3. §. spurius. ibi: cum ex ejus utilitate sit, semper ordinem plenum habere. ff. de Decurion. aptandam & regulandam esse. Homines enim voluntas, inquit Kremberg, de necr. defens. q. i. n. 82. debet se ad legem legisq; honestatem tanquam ad causam suam finaliter se habere, adeò, ut si ab eò dissentiat, pro non acto nec cogitato habeatur.

## XI.

Pergimus ad Jus Canonicum, quippe quod itidem defensionem necessariam non improbat, & quidem I. ex c. 2. vers. si autem. II. cx c. 18. X. de homicid. can. 19. C. 23. q. 5. III. c. 3. X. de sentent. excommun. c. 6. cód. in 6. IV. clem. un. de homicid. juxta clem. pastoralis, de sentent. & re jud. N. O. can. 10. G. 23. q. 5. ibi: illatam ab aliis libenter arripere. & ibi: sed percipienti colla submittere. Ex quo videtur inferendum, Jus Canonicum magis præcipere, ut mortem patiamur, quam defensionem suscipiamus. Resp. enim, hunc canonem loqui de persecutionibus, in quibus nemo sibi ipsi mortem maturare, sed propter fidei confessionem ad Dei gloriam animæq; salutem percutienti collum submittere debet. Hippol. de Adarsil. pr. crim. §. quoniam. n. 75. Mafcard. de probat. vol. 3. concl. 1131. n. 8. Cum dictum sit, defensionem omni jure permissam esse, tractari posset quæstio: *An in foro quoque conscientie defensio nostra pro justâ reputari possit?* Verum, quia hæc quæstio magis ad Theologorum, quam J. Ctorum spectat cathedralm, benevolum Lectorem remittimus ad D. Thomam 2. 2. q. 64. art. 2. Carpz. pr. crim. part. 1. q. 28. n. 10. & seq. & D.N. Petrus Theodor. d. diff. u. th. 6. lit. B. Vischer. d. tr. poster. membr. 2. lit. q. Tractari posset & hæc quæstio. *An defensio fit precepta?* Huic autem quæstioni cum Magnificus D.N. D. Unger paup. P. P. famigeratissimus. §. Facultatis Juridicae hic loci Ordinarius, Patronus & Praeceptor meus

*si soli honore prosequendus , Exercit. 13. q. 10. in Ajo. jam dudum satisfecerit, eo, ne soli lucem addere velle videar, me remitto.*

### XII.

Postquam nunc dictum & probatum defensionem omni jure licere & admissam esse, ordinis ratio exigit, ut quoq; quis ea uti & adversus quem suscipi possit, dicamus. Ea autem uti potest quisque l. 3. ff. de J. & J. Quod vocabulum cum generale sit, & eō omnes significantur l. 29. ff. de hered. Inst. l. i. de V. S. ibique *Gaddus*. n. 22. non distinguimus, cuius fit etatis, sexus aut conditionis, qui vim vi repellit, in tantum, ut clericum, si celebrando missam fuerit ab aliquo armis insultatus & vi invasus, invasorem, si alia evadendi copia non restet, occidere & postea non obstante homicidio ad inchoatam missā celebrationem perficiendam redire posse Canonistæ statuant communiter, prout ex iis. DN. Carpz. pr. crim. p. 1. q. 28. n. 6. refert. Et hoc amplius, ut infantem morti proximum baptizaturum, aut in agone constituto ægroto S.S. Evcharistiam delaturū, isthæc sacra dimittere & se adversus vim injustam tueri posse dicat DN. Perr. Theodor. d. disp. II. tb. 4. lit. A. quia naturale vinculum nos magis ac fortius obligat ad propriam, quam alienam cūjuscunque salutem conservandam atque tuendam. *avtb. itag. C. commun. de success.* Utrum verò ejusmodi ad sui defensionem occidens fiat irregularis, nec ne? Videri potest *Svarez. disp. 46.* de irregularitate contracta ex homicidio necessario s. in defensionem facto. *scilicet. I. per rot.* Quærere hīc lubet. An bannitus cuius occisionem statutum permittit, defensione gaudeat necessariā? Et brevibus affirmativæ subscribimus, moti hōc unicō fundamento, quod defensio sit Juris naturalis & gentium, Ea verò, quæ sint juris naturalis, à principe tolli nequeant. *clem. pastoralis de fēt. & re judic. & neminiñe Diabolo quidem deneganda sit. d. clem. pastoralis. & Canonistæ. Wcsenb. conf. 19. n. 4. p. 1.* N. O. quod plerunq; dissentientes reponunt. Ubi offendio est permissa, ibi defensio prohibita. moti arg. l. 4. C. de his, qui ad Eccl. config. quia ubi aliquid permittitur, ibi, vi contrariorum, contrarium necessariō prohibetur. Ita bannitis autem offendionem esse

esse permissam per const. pac. publ. rubr. die Pein der Friedbrecher.  
Ordinat. camer al. p. 2. r. 9. sollen der oder derselben Leib und Gut aller  
männiglichen erlaubet seyn / und niemands daran freveln oder verhan-  
deln können oder mögen. E. defensionem prohibitam. Resp. of-  
fessionem & defensionem non ut contraria, sed tantum ut di-  
versa hinc considerari. Licet enim statutum aliquem in bannum declaret, ipsumq; trucidandi potestatem unicuique lar-  
giatur, exinde tamen non sequitur. E. etiam defensio bannito  
est prohibita. Hæc enim Juris naturalis est. Jus autem natura-  
le nec statuto, nec jure civili tolli vel immuniti potest. N. O.  
Jus civile interdum aliquid addere, interdum detrahere juri  
naturæ & gent. E. in hoc casu idem videtur dicendum. Resp.  
idem & nos ambabus damus manibus. Verum, quod possit  
planè abrogare & immutare jus naturæ, quod fieret, si bannito  
defensio denegaretur, id negamus.

### XIII.

Quemadmodum autem tibi precedenti nihil reserre diximus, quis sit, qui defensionem exercet; ita etiam nihil interesse  
dicimus, qui vel qualis sit, contra quem vim ac offensionem  
injustam inferentem defensio suscipiatur. Natura enim cuius  
est defensio. l. q. l. 45. §. 4. ff. ad l. Aquil. homines omnes sunt  
æquales. l. 32. ff. de R. J. & leges concedentes defensionem, eam  
contra quemlibet vim inferentem nullò status, sexus aut conditionis  
discrimine observato indistinctè concedunt. l. 3. ff. de  
J. & J. l. 2. C. ad L. Cornel. de sciar. ubi g. est vis atq; injuria, ibi  
locus est propulsioni. d. l. 3. Sic recte nos defendimus contra  
furiosos, miente captos, & dormientes. Ayrrer. de homicid. neceß.  
p. 1. n. 66. & 67. contra ebrios & temulentos. Georg. Obrecht. de  
neceß. defens. c. 6. n. 58. & seqq. contra clericos, sacerdotes & re-  
ligiosos. c. 3. X. de sentent. excommun. adeò, ut hosce percutiens  
pro suâ defensione nec poenam excommunicationis, nec ali-  
quam irregularitatem incurrat. clem. un. de homicid. contra Ro-  
manæ Ecclesiæ Cardinales. gl. in c. ult. in pr. verbo. percuterit. de  
pœnit. in 6. Quia qui suô jure uititur, nemini facit injuriam. l. 55.  
ff. de R. J. & ubi adeò violentia s. injuriosa invasio, ibi quoq; li-  
citam dico defensionem, & contra.

## XIV.

Variae h̄ic se offerunt quæstiones. Cum enim th. præcedenti dictum sit, quod quilibet adversus quemlibet injuriam inferentem sine exceptione status, sexus aut conditionis recte se defendat. d. l. 3. lubet h̄ic querere. An etiam adversus Magistratum injustam vim inferentem permissa sit defensio? A. I. per l. 5. C. de J. fisi. II. l. 19. §. 7. ff. ad L. Aquil. III. quia Judex tali casu non judicis, utpote à quō non injuriarum occasio, sed jura nasci debent. l. 6. C. unde vi. sed potius privati, contra quem defensionem concessam esse, satis jam probatum dedimus, personam sustinet. l. 32. ff. de injur. IV. quia judex justitiae non verò injustitiae custos & minister esse & audire debet. l. 1. §. 1. ff. de J. & J. Dei enim, qui ipsa justitia, minister est. Quandiu g. veritatem & justitiam colit & administrat, Dei minister; quando verò injustitiam exercet & insolentes opprimit, nec magistratus nec Dei, sed Diaboli minister est & dici potest, ipsiq; ut principali suo omni jure resistere licet & obedientia ipsi alias debita jure subtrahitur. Non enim est judex, nisi quoq; in eo insit justitia: can. I. C. 23. q. 2. V. quia leges violentiæ injustæ resistendi copiam unicuiq; indistinctè concedunt, sive in eo versetur damnum irreparabile, sive non. Legibus n. non distinguenteribus, nec nostrum est distinguere. Variae h̄ic adduci possent objectiones, verum ne justo longiores simus, ipsam resolutionem discursui reservabimus.

## XV.

Nolumus h̄ic siccō pede præterire quæstionem. An etiam discipulo contra præceptorem terminos castigationis excedentem & vim inferentem defensione uti liceat? Et nulli præceptorum injuriis videbor, si questionem hanc affirmavero. Et quidem I. quia levis admodum & moderatissima tantum castigatio his concessa est. l. 5. §. fin. ff. ad L. Aquil. E. eò facilius discipulis adversus Præceptores modum in castigando excessentes, defensio conceditur. II. Quia isthac corriegendi & castigandi potestas jure concessa in sevitiam & offendam abire non debet. l. 17. §. 1. ff. de usu fr. d. l. 3. §. fin. III. Quia nimia præceptoris sevitia culpx adnumeratur. l. 6. ff. ad L. Aquil.

ad eō

ad eō, ut si discipulum vulneribus vel etiam planè morte affec-  
rit, cum pro modo culpa vel L. Aquiliax, vel L. Corneliae de fi-  
cariis penâ teneri dicat. *Menoch. in de arbitr. jud. quest. cent. 43*  
*cas. 364. n. 10.* & seqq. Eiusmodi enim homines, se præceptores,  
non mulieres esse & discipulos ipsorum disciplinæ, non cari-  
nificinæ, ipsisq; castigandos non lacerandos ac dilaniandos  
traditos esse sciant, quos etiam sedulò informant & moderant  
regant, non verò pro levî quolibet delicto saucient & diris im-  
precationibus; qua Deum vindicem habent, defatigent.

### XVI.

Quærimus utsi. *An filio contra patrem*, qui cancellos  
licite castigationis transgressus sit, defensio quoque ad interne-  
cium usque patris permissa sit? Quod itidem A. I. per genera-  
litatem textuum suprà allegatorum & regulam inde exstru-  
ctam generalem: *quod quisque ob tutelam corporis sui fecerit, ius*  
*re fecisse existimatur.* Si quisque, quidni & filius à patre in  
vitæ angustiis constitutus, patrem interficiendo, id jure fecisse  
existimabitur? Cum ubi Lex non distinguit, nec nostrum sit  
distingnere. *l. 3. ff. de off. presid.* & quod generaliter dicitur ad  
omnes species extenditur. *l. 1. §. 1. ff. de legat. præstanda.* *l. 2. §. 2. que*  
*infraud. cred.* II. quia ut dominorum in servos; ita & parentum  
in liberos coarctata. *l. ult. C. de patr. potest.* *l. 11. ff. de lib. & poſt. be-*  
*red. infit.* *l. un. C. de his. qui par. vel lib. occider.* & certis cancellis  
circumscripta est potestas. *l. 3. C. de patr. pot.* *l. un. C. de emendat.*  
*propinq.* ita, ut hodiè patria potestas non in atrocitate sed pie-  
tate consistere debeat. *l. 5. ff. ad L. Pompej. de parricid.* III. quia  
pater terminos paternæ castigationis excedens & filium in-  
terficiens latronis magis, quam patris jure cum interficit. *d. l.*  
*5.* Si ergò latroni licite resistimus, ipsumq; trucidamus. *l. 4. ff.*  
*ad L. Aquil. l. 1. C. quand. lic. unicurg.* *l. 2. 3. & 4. C. ad L. Cornel. de*  
*fear.* quid vetat, filium etiam patri latronem agenti resistere  
ipsumq; ut latronem interficere posse? IV. Quia charitas ordi-  
nata incepit à se ipsâ. *l. 6. C. de servip.* & ag. Et plus se quis diligit  
in ungue pedis, quam alterum in vertice capitis. *Bl. confi. 312.*  
*incip. vijs actis.* ut sanè stultus esset, qui propriæ saluti alienam  
anteponeret, *Jul. Clar. lib. 5. sent. 8. homicidium.* *n. 29. & 30. & al-*  
terum



actum diligenter, se vero neglexeret. c. nisi. X. de author. & usu pat-  
lii. V. quia qui contra leges committit, indignum se reddit le-  
gibus. l. 37. in fin. ff. de minor. l. fin. §. 12. C. de Jure deliber. & cap.  
bone memoria. X. de elett. At pater vita filii insidias struens con-  
tra leges committit, prout multis demonstrat Kremberg. q. 3. n.  
58. & seqq. E. Hisce N. O. I. quod parentibus Jure patria potestatis  
castigantibus resistere prohibeamur, & quod pro violen-  
tiā iustā non debeat reputari, quod animo emendandi fiat.  
l. 3. C. de patr. pot. & l. un. C. de emendat. propinquor. Resp. hæc  
vera esse, modò pater in terminis paternæ castigationis steter-  
ris, quos si nimium excederit, non amplius castigatio, sed vio-  
lentia dici meretur. N. O. II. personam parentum liberis  
semper sanctam & honestam esse debere. l. 9. ff. de obseq. parent. &  
patron. prestand. ipsisq; parentibus à filiis pictatem, obedien-  
tiam & reverentiam naturā deberi. l. 2. ff. de j. & j. l. 4. ff. de cu-  
rat. furios. Est enim liberis parens tanquam Deus quidam ter-  
restris, inquit Cicero in orat. pro Plancō. adeò, ut non immerito  
hæc, puta religio, pietas & ratio naturalis, quæ ab ejusmodi  
parricidio planè abhorret, filium non immerito ab eo abstere-  
rent, & ad mortem patienti animo obeundam infletere  
queant & debeant. l. 14. C. de his, qui accus. non posse. Resp. hæc o-  
mnia procedere, si modum in castigando observaverint parentes,  
secus vero esse, si omnem omnino adfectionem parentalem  
sepserint & ita in proprii sanguinis interitum quasi juraver-  
int, liberosq; in tantas vita angustias deduxerint, ut, nisi par-  
gentes morti dent, ipsi interire cogantur. Tunc enim liberos  
defensione uti posse, omnia jura consentiunt. Nolunt enim  
inquit Oldendorpi classe I. act. 2. in pract. n. 3. in fine. leges injuriam  
intolerabilem defendere pretextu reverentie. Et reverentia debe-  
tur resp. patriæ affectionis, quā sublatā tollitur quoque re-  
verentia. N. O. III. Nov. 12. c. 2. in fin. ubi dicitur, quod pater,  
licet legum contemtor & impius sit, tamen pater sit, cuius per-  
sonam filio semper sanctam esse habendam monet. d. l. 9. Resp.  
licet personam patris sanctam habendam esse dicant leges, fal-  
lit tamen, si pater ad liberos interficiendos venerit. Tunc e-  
nim, si patrem occiderit, nullam pœnam mereri, sed premio  
affi-

afficiendum, omnes constituisse dicit, l. 35. ff. de relig. & sanct. fun. Deinde etiam dicta obiectio locum habet in iis, quæ juris, non quæ facti sunt. Et demus, patri, quem sanguinem habeamus, nos multa, imò omnia debere, id tamen ad vitam extenden-dum non est. Tandem utrū hac sint, hoc tamen coronidis lo-co addo, filios, prius quād ad hanc defensionem progredi-antur, consultius agere, si omnia vel lenienda iracundia, pu-ta fugam arripiendo, (quam hoc in casu non ignominiosam & probrosam, sed potius quasi quandam indubitate pietatis & debita observantia significationem & testificationem omni-nō laudandam & deprædicandam dicit *Claudius Seyfilius*), de-precando, vitam meliorem pollicitando, vel avertendæ vio-leutiae remedia tentent. Quod si fecerint, & patrem neq; la-chrymis neq; precibus ad desistendum movere potuerint, tunc sepe & vitam suam jure defendunt. Tandem, ne & nos terminos disputationis egrediamur, brevibus, uxori contra mari-tum, servo contra dominum, & apparitoribus contra incar-ce-randos, omni jure itidem admissam esse defensionem dicimus.

#### XVII.

Expositas nunc personas, contra quas suscipi potest defen-sio, excipiunt personæ, quæ defendi possunt. Ex verò sunt vel propriæ vel necessariæ, vel extranæ.

#### XVIII.

Proprias rectè & omni jure defendi posse, evincit l. 3 ff. de J. & J. ibi: quod quisq; ob tutelam corporis sui fecerit, jure fecisse exi-stimatur. l. 1. l. 3. C. ad L. Cornel. de sciar. ibi: quia defensor proprie salutis in nullo peccasse videtur. l. 4. pr. l. 5. & l. 45. S. 4. ff. ad L. Aquil. ibi: adversas periculum naturalis ratio permitit se defendere, & consti-crim. Car. l. V. art. 140. Was eine rechte Nothwehr sey.

#### XIX.

Necessariæ vel ob cognationem naturalem, vel ob ar-ius sanguinis, pietatis, potestatis & auctoritatis singularis vin-culum defendimus, & sunt parentes, liberi, fratres, conjuges, affines, consanguinei & similes. Hisce enim præ reliquis ad necessaria officia devincti & obstricti sumus. Sic rectè de-fendunt LIBERI PARENTES. I. quia pater & filius natura u-

na & ead. persona intelliguntur. II. II. C. de impub. & al. subst. II.  
quia post Deum ab his spiritum ducunt. III. quia illis natura  
pietatem & reverentiam debent. I. 4. ff. de curat fur. I. 2. ff.  
de J. & J. IV. quia injuria patri facta, etiam filio facta esse cen-  
setur. I. I. §. 4. & 5. ff. de injur. & §. 2. Inst. eod. PARENTES LIBE-  
ROS. I. per d. I. II. C. de impub. & al. subst. II. quia injuria facta  
uni, & alteri facta intelligitur. d. §. 2. Pater g. filium defenden-  
do & invasorem occidendo propriæ defensionis jure gaudet,  
nec poenam incurrit. Thom. Trivista. decis. crim. 58. n. 12. & 13. quia  
juxta Aristotlem 5. Eth. 6 parentes æquè diligunt liberos ac se-  
ipos. III. per I. §. 3. ff. quod met. caus. ubi parentes filios ma-  
gis diligere, quam sui ipsius rationem habere dieuntur. IV.  
quia in iis salvatur pater & paterni nominis diuturnitas. I. 220.  
§. 3. in fin. ff. de V. S. V. quia cum his pater una est caro, ut pro-  
inde parentis contra fratnulos naturales facheret, si filiorum tute-  
lam renueret. I. 36. §. 1. ff. de excusat. tut. Si enim teste Platone ani-  
malia quoq; bruta pro suis sentibus acriter dimicant, illosq;  
defendunt, multò magis homines naturali ratione prædicti  
suos liberos protegere & tueri debent. Carpz. pr. crim. part. I. q.  
32. n. 4. FRATRES se invicem, quia & hi corporis nostri quo-  
dammodo partes sunt. Zannet. tr. de defens. tripart. p. I. n 82.  
& seqq. Carpz. d. loco. MARITUS UXOREM, quia vir & uxor pro  
unā personā reputantur, & una caro & una anima sunt. Gen. 2.  
v. 24. Marc. 10. Epb. 5. id quod etiam demonstrat, cap. 5. X. de bi-  
gam, non ordin. c. 3. X. de divorc. & can. 8. pr. C. 32. q. 2. ibi: uxorem  
tuam partem corporis tui. Si uxor est pars mariti, ejus etiam ut  
proprii corporis tutelam omnino recte suscipit, d. l. 3. ff. de J. &  
J. Suffragatur quoq; nobis I. I. §. 9. I. II. §. 7. de injur. & §. 2. inst.  
eod. ubi injuria uxori facta & marito facta dicuntur. SPONSUS  
SPONSAM & contra I. 15. §. 24. ff. de injur. & quia in favorabilibus  
sponsa aliás pro uxore habetur, I. 5. C. de bon. que lib. I. 4. ff. de  
fund. dot. Tandem etiam AFFINES ET CONSANGVINEI se in-  
vicem defendere posse dicimus, quia uni horum illata & reli-  
quis illata censemur. I. I. §. 4. ff. ad L. Cornel. de sciar. I. 22. I. 35. pr. ff.  
de procur. & alterum alterius aggressorem impune occidere  
posse testatur. Magnificus DN.D.Richter P. itidem P. Comes Palatinus

Cefsa.

Cesareus & Facultatis Juridice Senior, Patronus & Preceptor cuius o-  
mni honoris & observantie cultu etatem devenerandus. decif. 2.n.5. qui  
etiam hanc adsertionem præjudicio quodam Collég. Jurid.  
Jenens. confirmat. Restant personæ, quibus defendendis vel  
ratione potestatis & juris, vel ratione dætæ fidei & mutua ob-  
ligationis obstricti & devincti sumus. Verum cum de iis & DN.  
Carpz. pr. crim. p. 1. q. 32. n. 8. & DN. Petr. Theodor. in Diff. u. th. 4.  
ut. D. latè egerint, Lectorem benevolum, ne auctum agamus, eo  
remittimus.

X X.

Succedunt tandem personæ extraneæ, quarum persona-  
rum, cum nullâ speciali affectione nos attingant, defensio u-  
trum a nobis suscipi rectè possit, non omnium una est sen-  
tentia. Nos Affirmativa subscribimus, hâc tamen additâ  
restrictione, si id sine propriæ vita periculo fieri queat, alio-  
quin enim nemo se alterius gratiâ periculô se subjicere tene-  
tur. arg. c. ex parte. 47. de adpellat. quia quilibet regulam dili-  
gendi proximum à semetipso accepit. c. fin. C. 23. q. 5. & d. l. 6.  
& nullus se in præsens periculum conjicere cogitur. l. 34. §. 1. de  
donat. nam tenemur alteri id tantum præstare, quod nobis  
non nocet & ipsi prodest. l. 2. §. 5. in fin. ff. de aq. & aq. pl. arc.  
I. quia proximum nostrum sicut nos ipsos diligere debemus.  
Matth. 22. vers. 39. Marc. 12. v. 31. Quemadmodum ergo proprii  
corporis defensionem, quod sufficienter probatum, rectè sus-  
cipimus; ita etiam proximo in angustiis vita constituto vi  
hujus præcepti rectè adsistimus, alias enim nisi ipsum ut nos  
defenderemus, ipsum ut nos non diligemus. II. Exemplo  
Moysis. Exod. 2. vers. 11. & seq. id quod ab ipso Spiritu sancto  
Aétor. 7. v. 24. non improbat, de cuius iudicio curiosius dis-  
ceptare aut illam reprobare, non convenit, prout ad d. c. 2.  
Exod. v. 11. ex D. Chytreo rectè adnotat D. Andreas Osiander. III.  
quia extra culpam non est, qui in periculo vita constitutum,  
cum adjuvare potest, non adjuvat. l. 50. l. 109 ff. de R. J. l. 45. pr.  
ff. ad L. Aquil. l. 3. ff. de noxal. aét. c. non in inferenda 7. & 8. C. 23. q. 3.  
IV. c. 6. vers. illi etiam. X. de homicid. ibi: qui potuit hominem libe-  
rare à morte, & non liberavit, cum occidit: nec caret scrupulo societas.



tis occultæ, qui manifesto facinori definit obviare. V. per l. 3. ff. de J.  
¶ J. ibi: cum enim cognationem quandam natura inter eos constitue-  
rit, consequens est, hominem homini insidiari nefas esse. VI. l. 7. ad fin.  
deserv. exportand ibi: cum beneficio adfici hominem hominis interfit.  
Homines enim hominum causâ generati sunt, ut ipsi alii alii inter se  
prosint inquit Cic. 1. off. VII. quia, quod alteri prodest, mihi ve-  
rò non nocet, me præstare debere a quitas suadet. l. 2. §. 5. vers.  
quanquam. ff. de aq. & aq. pl. arcend. VIII. Proximo de vita peri-  
clitanti succurrere non modò æquum, sed & valde necessari-  
um esse adserimus. Äquum dicimus propter justitiam, qua, si  
opem & auxilium proximo subducemus, turbaretur. Duo  
enim tam bellè, quam sapienter inquit Cicero lib. 1. Off. Injustitiae  
sunt genera: unum eorum, qui inferunt; alterum eorum, qui ab iis, qui-  
bus infertur, si possint, non propulsant injuriam. Necesarium ve-  
rò propter charitatem proximo debitam. Et Lanctantius lib. 6.  
divinar. insit. c. 11. qui succurrere, ait, perituro potest, si non succurre-  
rit, occidit. Et Seneca: Si justus es, non solum non nocebis, sed etiam  
noentes prohibebis. Nam nihil nocere non est justitia, sed abstinentia  
alieni. IX. Si lege Prætoria nobis permisum est, aliorum ne-  
gotia & res tueri. l. 1. ff. de negot. gest. aliisq; pro tutelâ bono-  
rum opem ferre. l. 3. §. 9. ff. de vi & vi arm. multò magis defen-  
sionem pro illorum personis & vitâ subite licebit. l. 21. C. de SS.  
Eccles. X. Luculenter adscriptionem nostram confirmat const.  
crim. Carol. art. 150 vers. 50 einer zu Rettung eines andern Leib/ Leben  
oder Gut jemand schläget. Quæ verba abundè evincunt ad alterius defensionem impunè committi homicidium, nec atten-  
dendum esse, utrum persona oppressa necessaria sit, an extra-  
nea. Dictis N. O. l. 9. §. 1. ff. quod met. casu. ubi dicitur, licere  
pro alterius vitâ & corpore tuendo pecuniam accipere. Hinc  
colligunt dissentientes. E. non esse de necessitate alteri & qui-  
dem extraneo succurrere. Resp. ibi agi de eō, qui operam de-  
fensionis à vi hostium vellatronum ad certum tempus locavit,  
Quando g. ibi pro defensione pecuniam accepit, accepit il-  
lam ab operâ conductâ. Secus verò esse in nostrô casu, quan-  
do quis fortuitò incidit in hominem de vitâ periclitantem. Et  
hunc omnino succurrendum per rationes adductas dicimus.

Ille

Ille enim, qui non iuvat & defendit, cum iuvare & defendere potest; tam est in vito, quam ille, qui facit. c. 8 § 9. C. 23. q. 3. & juxta Ciceronem, qui solum non defendit, nec obstat, si potest, injuria, tam est in vito, quam si parentes & amicos deserat. N. O. II. d.l. 3. ff. de J. & J. cum aliis legibus supra adductis tantum de proprii corporis, non vero alieni defensione loqui. Verum Resp. unius inclusionem non esse alterius exclusionem. Quoties enim lex vel dispositio quaedam facit mentionem propria personæ, simul etiam iis necessaria censentur comprehendendi, cum pari nobiscum gaudeant jure. l. 3 §. 6. l. 4. §. 2. ff. de pen. legat. l. 2. & seqq. de usu & habit. inquis: Personas extraneas non esse necessarias, & hanc rationem in extraneis non obtinere. Resp. non vimus & hoc interea tamen sufficiunt regulâ illâ generali, VIM VI REPELLERE LICET. l. 1. §. 27. ff. de vi & vi armat. tum praecepto illô divinô: DILIGES PROXIMUM TUUM SICUT TE IPSUM; tum & cognatione illâ, quam natura inter omnes homines constituit, eriam in extraneis defensionem hanc locum habere adserimus. N. O. III. homicidia esse odiosa, quæ potius restringi, quam extendi debent. Resp. Concedimus & hoc, homicidia esse odiosa; negamus vero defensionem, ut pote quæ summè favorabilis res est, & divino naturæ & omni jure probatur. Non enim homicidium, sed offensio antecedens in considerationem venire debet. N. O. IV. hoc casu januam homicidis pandi ad homicidia committenda & multiplicanda. Resp. negando. Potius enim recluditur, cum defensione concessâ ad gressorum temeritas potius decrescat, quam augescat.

### XXI.

Expositis personis subjungimus res omni quoq; juri defendendas. l. 1. C. unde vi. l. 3. §. 9. ff. de vi & vi arm. Num vero ob res defendendas impunè quis possit occidi? Dicitur. inter se non convenient, Quorum opiniones recensere instituti nostri ratio non admittit. Dicimus tamen brevibus, quod, si vita simul cum rebus periclitetur, licet. gl. in sum. 23. q. 3. Zoanner. p. 1. n. 42. & sequentibus.



Quemadmodum verò unicuique rei sua soleret esse formam, ita etiam nostræ defensioni necessariæ formam addere Doctoribus placuit, eaque in moderamine inculpatæ tutelæ constiterent dicunt, cuius tria faciunt requisita, tempus scilicet modum & causam. Nos ut brevitatè studeamus, cum Obrecht dicitur de necessariis defensionis c. 11. per tot. Mario Solomonio in l. 3. ff. de J. & J. n. 7. Christophero Besoldo d. l. 3. q. 19. ff. de J. & J. & aliis. hoc moderamen in d. l. 3. compendiosè & unicò propulsandi verbo describi statuimus. Quod verbum tria secundum Obrechtum notatum non indigna sub se comprehendit. Primum est, **QUOD NEMO VIM ATQUE INJURIAM PFERRE TENEATUR**, sed ipsi tam omni jure propulsare licet. c. 6. pr. de sent. excommunic. in 6. ibi: **cum omnes leges, omniaq; jura vim vi repellere cunctisq; se se defendere permittant.** c. 18. vers. si vero circa finem: ibi: **vim vi repellere, omnes leges & omnia jura permittant.** X. de homicid. c. 3. X. de sent. excomm. l. 45. §. 4. ibi: **omnes leges. ff. ad L. Aquil.** & quod contra vim vi experiri, seq; à periculo vita quoquemodo liberare, & arma armis propulsare licet, id vulgatissimum & commune esse tradit **Clarus.** recept. sentent. §. homicidium. n. 35. **Cæpolla.** cons. 12. 42. Schnidev. ad §. 1. Inst. de J. N. G. & civ. n. 12. a natura n. inquit Cicero l. Off. curig. tributum est, ut se vitam, corporis suum tueatur. Et quisnam auderet, vel qua ratione audere aliquis teneretur, se in hostium sinu reponere, ac ad mortem per violentam injuriam, non per justitiam inferendam, ultroneum se offerre? Hæc quidem jure timentur, hæc de more vetantur, hæc humana fugit ratio, hæc abhorret natura. **Clement.** pastoralis. de sent. & rejud. Eam autem in continentia, non ex intervallo, quod vindictam sapit, fieri debere, evincit l. 3. §. 9. ff. de vi & vi arm. ibi: **confestim.** Positam enim causam proximam in actu, offensione scilicet, effectus quoque nimis propulsatio in actu ponitur. Cessante vero causam cessat quoque effectus. In continentia autem inquit DN. Carpz. pr. crim. part. l. q. 31. n. 17. defensionem juxta communem interpretum opinionem fieri, quando in aggressu ipso, atque in pugna continuatione, flagrante adhuc offensione & conflictu cœdes committitur. Non tandem

tandum tamen, quod, quando in continentii defensio fieri dicitur, id tantum ad personas, non vero ad res restrictum velimus. Illarum enim defensionem in ipsa statim concertatione, congressu & adhuc ardenti pugna, non vero post extinctam atque sedataam eam fieri debere tradit D.N. Garpz. pr. crim. p. 1. q. 31. n. 1. nisi tamen subiicit metus iterationis, atque secunda percusionis. Tunc enim esset defensio secunda percusionis. D.N. Theodor. coll. crim. disp. 1. th. 3. lit. D. Panorm. in c. significasti. n. 9. de homicid. Harum vero rerum putatio, tanta restrictio non est, sed ipsis defendendis longius spatium, ex rei ipsis, ex qua quis dejectus est, & dejectientis vel violenti invasoris & dejecti de possessione, natura & qualitate estimandum conceditur, iniquum enim esset, illi praesertim, qui injuste de possessione sua dejectur, aut res aufertur, nec recuperanda possessioni aut rei solus sufficit, tantum temporis indulgere nolle, quo amicos convocare, eorumque auxilio ercptum fundum s. rem rursus adipisci possit. Nec intra modicum illud tempus, quo negligentia defensoris nulla fuit, animum possidenti deposito, aut minus in continentii defensionem rebus adhibuisse censendum est. Eo enim ipso dum dejectus de possessione se preparat ad recuperandam possessionem, animo eam semper retinere creditur, & ea, qua nullo acu extraneo interveniente aguntur, uno contextu & in continentii fieri existimantur, tametsi aliquo temporis intervallo fuerint completa. l. 21. §. fin. ff. qui testam fac posse. Concessum enim & in continentii fieri intelligitur, quod cum primum fieri per rerum naturam potest. l. 2. §. 43. ff. ad Sen. Tertyll. l. 73. pr. l. 137. §. 2. ff. de V. Obl. Quamdiu ergo invasor rem violenter & naturaliter tenet, tamdiu rixa durare censemur, nec dejectio per occasionem legitimam ditacionem suam recuperare interdicatum, nec talis recuperatio pro spolio, sed possessionis continuatione habenda est. Nam qui continuat possessionem suam, spoliare non dicitur. Gail. 1. de P.P. c. 16. n. 16. Ordin. cam. part. 2. tit. 9. §. 1. Soiemand. 2. ibi: sein Gewehr und Verfolgung zu thun/ zu frischer That / oder wenn er seinen Freund und Helfer haben mag. Haec dicta cum satis evincant, quemlibet in discrimen vita abducatur, deque possessione dejectum

Etum ad mortem usque adversarii summo jure se defendere, possessionemq; recuperare posse, nolumus diutius hic harenre, sed ad alterum *Obrechti* notabile nos conferimus, quod est:  
**VIOLENTA VEL INJURIOSA OFFENSIO SEMPER PRÆCEDERE DEBET DEFENSIONEM.** Propulsatio enim non per se subsistit, sed ad violentam vel injuriosam offensionem respectum habet, cum hæc duo defensio & offensio sint correlata, quorum uno sublatō tollitur & alterum & posito uno, ponitur & alterum, per vulgatam logicorum regulam.

XXIII.

Hanc autem violentam vel injuriosam offensionem Dd, faciunt duplē. Unam illatam; alteram imminentem. Utramq; optimō Jure propulsari posse statuo. Illam per l. i. §. 27. ff. de vi & vi arm. Quamdiu enim instat aggressor, tamdiu vim recte propulsas, teq; defendis. l. i. §. 27. l. 3. §. 9. ff. eōd. offensione verò cessante, defensio quoq; cessare debet, propter horum duorum mutuum respectum & relationem, cum sublatō uno tollātur & alterum. *Obrecht. d. tr. c. II. n. 24. & seqq. N. O. l. 52. §. 1. ff. ad L. Aquil.* ubi tabernarius à fure vapulans, ipsi furi oculum effodiens culpā vacare dicitur. Ex quō elici posse videntur, quod si antequam tabernarius à fure vapulasset, furi oculum effodisset, culpā non vacet, & per consequens vim tantum illatam, non verò imminentem posse repellī. Verum Resp. non valere consequentiam. Ibi enim fur cum lucernā surreptā auffugiens nullam planè vim facit. si ergò tabernarius furem infecutus ei oculum effodisset, non defensio sed vindicta, & ita tabernarius utique solus in culpā fuiset. Nullam quippe vim passus, vim fecisset. Secus est, quando quis alium percussurus armis adgreditur. Hanc verò imminentem sc. ideò, quia potētia nocendi actui proxima censemur esse in ipso actu. arg. l. i. §. 21. & l. 18. S. 2. ff. de acquir. vel amitt. pos. & quia ille, qui alterum ad se venientem gladio percussit, non ut homicida tenetur, sed ut salutis propriæ defensor in nullo peccati videtur. l. 3. C. ad L. Cornel. de sciar. Cum ergò ad excusationem defensionis nihil referat, an aggressor alterum percussit, an percutere voluerit. d. l. 3. nihil obstare video,

video, quia & imminens offensio repellere possit. Ob vim enim imminentem alter semper versatur in periculo, nec scire potest, quousque alter progrederi velit. *Wesenb. conf. 19. n. 37.* Notandum tamen hic venit, quod non sufficiat tale periculum exstare, sed oporteat imminere & ingravere, ita ut nisi occidatur vel mutiletur adversarius, aliter mors vitari nequeat. *clem. un. de homicid.*

#### XXIV.

Placet nunc querere, utrum primum aggressoris insultum quae exspectare debeat, an si viderit arma in sestringi & insultantis animum probè cognoverit, resistere, sibiq. in tempore prospicere posse? Nos Aff. posterius hisce suffulti rationibus, eaq; primâ, quia vim imminentem vi repellere atq; propulsare licet. *l. 1. S. 27 ff. de vi & vi arm.* Non autem videbitur se defendere, nec a se vim propulsare, qui eod usque donec offendatur, vel vulneretur, exspectat. *Perez. in C. ad L. Corn. de siccari n. 35.* illatam enim repellere non possumus, cum post receptam & jam intermissam, ( secus est, si aggressor instet ) percussione repercutere, non defensio, sed vindicta sit & audiat: siquidem defensionis est, prævenire, cavere, protegere, resistere, ne vapules. *Salom. in repet. l. 3. de J. & J. n. 8.* II. quia melius est in tempore occurrere, quam in iuriā acceptā vindictam perquirere. *l. 4. in fin. C. ad L. Corn. de siccari.* Cui ad stipulatur *l. 1. C.* quando licet in iugis, sine jud. & *l. ult. in fin. C. in quib. caus. rest. &c.* Melius esse dicentes, occurrere in tempore, quam post exitum & vulneratam causam remedium iquarrere. *Perez d. loco.* Ne aliás contingat, quod *Cicero pro Milone* scribit: ut primum iustum exspectare volenti ante iusta pena luen- das sit, quam eadem repeti posse. *Aramaeus disp. ad m. l. tb. 2. circa fin. & Carpz. pr. crim. part. i. q. 29. n. 57.* III. Si primus iactus expe-ctandus aut excipiendus esset, eod vel trucidari, vel tamen ita tractari posset insultatus, ut facultas defensionis nulla leso foret reliqua. *Perez d. loco.* Nunc autem omni jure permissa est defensio pro salute corporis tuendâ. *d. l. 45. S. 4. ff. ad L. Aquil. & c. 18. X. de homicid.* E. ubi cunctatio periculosa est, præ-venire justa defensionis est, & invasus invadentem jure præve-nire potest, non exspectato primô iactu. *Visch. d. tr. membr. 5. lit. D*



xx. & DN. Theodor. d. diff. II. tb. 5. lit. E. IV. quia homicidii non  
fit reus, si quis percussorem ad se venientem, ferro se petentem  
gladio repulerit & occiderit. Defensor enim propriæ salutis,  
in nullo peccasse videtur. I.3. C. ad L. Corn. de sciar. l.5. pr. ff. ad  
L. Aquil. V. quia, ut dictum, potentia, quæ actui proxima,  
censetur esse in ipso actu. d. l. i. §. 21. VI. nostram juvat senten-  
tiam Conf. Crim. Caroli V. art. 140. quæ & ipsa expresse adserit,  
insultatum insultantis primum idem exspectare non teneri.  
ibi: ist auch mit seiner Gegenwehr bis er geschlagen werde zu warten  
nicht schuldig. N. O. I. l. i. §. 3 ff. ad L. Cornel. de sciar. ibi: si gla-  
dium strinxerit, & in eō percussir. ubi ad declarandum homici-  
dæ animum non nuda gladii denudatio, sed ipsa percussio à  
Marciano exigitur. Verum hæc objectio quæstionem nostram  
planè non stringit. Resp. n. d. legem non de defensione, quam  
armatâ manu insultatus obit, sed tantum de pœnâ L. Corne-  
lia agere. Cum enim hæc lex non modò ipsum occisorem, sed  
etiam animum occidendi habentem tanquam homicidam  
puniebat. Sine percussione verò factâ judici de animo occi-  
foris adeoq; de absolutione vel condemnatione faciendâ li-  
quere non poterat, necessaria erat percussio, ideo ut intelligi  
posset, an quis animum occidendi haberit. Percussione itaq;  
stricto gladiô factâ voluntas coedis inferenda satis perspicie-  
batur. Harprecht, in ad §. item lex Cornelias 5. Inst. de publ. jud. n. 86.  
N. O. II. l. 52. §. 1. ff. ad L. Aquil. ubi Alsenus respondit, culpam  
pones eum, qui prior flagello percusxit, residere. Resp. enim  
cum Perezio in d. l. n. 35. quod ibi ille auctor fuerit pugna, qui  
percusxit, at in nostro casu, non qui primo ferit adversarium,  
causam delicti præbet, sed ipse adversarius, qui prius gladio  
evaginato truculenter aliquem adoritur, eiq; vitam adimere  
conatur. N. O. III. l. i. C. unde vi. ubi dicitur, illata vim  
propulsare licitum esse. Ex quo sequi videtur, quod non im-  
minentem & per consequens primum idem utique exspectan-  
dum esse. Resp. enim, nec hanc legem assertionem nostram  
quicquam ferire. Satis enim jam satis vis illata censetur,  
quandò adversarius gladiô denudatô impetum in ipsum fecer-  
it, licet nondum percussir. Quia ad justam defensionem

præ-

præsens saltēm armorum terror, veluti sunt bombardæ, gladii &c. sufficit, & insultatum in vita discrimen abducit. *Gail.*  
*d. loco, num. 21.*

XXV.

Quando verò dicimus, ob vim etiam imminentem posse fieri defensionem justam, id de nudis & solis minis intellectum nolumus. Solæ enim minæ tam gravem offensionem non habent, ut ob eas solas alterum cedere liceat. Sunt quippe verba, quæ non verberibus, sed verbis repellenda. *Dambouderius pr. crim. c. 76. n. 19.* Distinguendum tamen puto inter minas solas s. simplices & cum animo exequendi conjunctas. Posteriori casu, si sc. minas jactans simul se præparat, ad minarum executionem, veluti insurgendo, manus ad gladium admovento, brachium elevando, stringendo, gladium denu-dando, lapides arripiendo, bombardam è thecâ eximendo. *Gail. 1. de P. P. c. 16. n. 21.* vel si adversarius minetur adgressu-ram & ictum cum ense, quem jam manibus tenet. *Grevaus. 2. conel. 110. cons. 1. n. 20.* aut venit contra aliquem cum cultello & ense, ita, ut terror & metus actui proximus adsit. *1. 3. §. 5. ff. de vi & vi arm.* tunc sanè, quia in periculo vita versamur, in quo nos iustè usq; ad interencionem adversarii defendimus. *1. 2. C. ad L. Corn. de sciar.* defensionem maturare nec primum ictum exspectare debemus. Tutius enim & consultius est, intactum corpus servare, quam post vulnus acceptum remedium quaerere. *d. l. fin. in fin. C. in quib. caus. ref. in integr. neceß. non est.* Et hanc sententiam sovent Dd. communiter. *Gail. d. loc. Dambouderius pr. crim. c. 76. n. 19. & alii.* Priori verò casu, quando scil. quis simplices minas edit, h. e vel nudis verbis vel gestibus mortem minatur, tunc minatus minantem occidendo pœnam homicidii ordinariam nullatenus effugere potest. Tum quod is, qui tantum minatur, nondum incipit offendere & facio insultare, neque ad actum procedit proximum, ideoque tunc verbis obfisti, non autem ad manus & ferrum deveniri debet. *Coler. cons. 39. n. 81. & 82.* alias enim si pro solis verbis verbera referrentur, analogia defensionis minimè servaretur. *DN. Theodor. in d. diss. II. th. 5. lit. E.* Tum, quia per minas nemo in



discrimen vita abducitur. Tum, licet minæ verbales terrorem  
alicui incutiant. I. un. C. si quācung; prædius potest. I. un. C. si re-  
ctor provinc; non tamen per illas præsens & tale vita pericu-  
lum imminet, quod aliter verbis vel judiciali autoritate  
propelli & declinari nequeat. Multi enim inquit D.N. D. Theo-  
dor. d. locō reperfuntur Thrasones & superciliosi homines, qui  
allicui ex frivolâ sāpē causā satyras & mortem minantur: quo-  
rum tamen comminationes stulta non pluris faciendæ, quam  
fulgor è vitro, aut quanti nugæ obstetricum & delirantium  
jam vetularum.

### XVI.

Cum verò multi sāpisimè ita sint obstinati, ut, prius  
quam, quod tamen optimè & sine dispendio vita possint, fu-  
giant, aggressorem trucidare malint, quam fugere. Q. hīc:  
*An si fuge copia supersti, & sine discrimine vita fieri posse, fugere ad-  
gressus potius, quam invadentem occidere teneatur?* Quod itidem  
utpote Juri, æquitati & pietati consonum, conscientiæ tutius  
& Christiano homine dignius Aff. I. per §. *injuria*. 2. ibi: si al-  
iter periculum effugere non potest. *Inft. de L. Aquil.* qui §. occisorem  
expressè idèo liberat, quia periculum aliter effugere non po-  
tuit. E: à contrario sensu, si potest fugere absque vita pericu-  
lo & tamen trucidat, non liberatur. II. per l. 2. ibi: *in dubio vi-  
ta discrimine constitutus.* C. *ad L. Cornel. de sicar.* qua lex tam de-  
mum occidere permittit, si dubium vita discriminæ adest. E:  
nec ad internecionem progredivit. III. per l. 5. pr. vers. *fin*  
autem. ff. *ad L. Aquil.* ubi sic respondet JCTus Ulpianus: *Sin au-  
tem cum possit adprehendere, maluit occidere, magis est, ut injuriā fe-  
cisse dicatur.* E: & *Cornelia* tenebitur. Ex quo JCTi responso sic  
inferre possumus: Si quis, cum fugere possit, adpropinquan-  
tem sicarium maluit trucidare, injuriā fecisse videtur. Paria  
enim sunt, dicunt Dd. non adprehendere, quem posses adpre-  
hendere & non fugere, quem posses fugere. IV. l. 45. §. 4 ff. *ad*  
*L. Aquil.* ubi illi tantum perhibentur innoxii, qui cum aliter  
se tueri non potuerint, damni culpam dederint. V. l. 2. §.  
5. *in fin ff. de ag.* & *ag. pl. arc.* ubi tantum facere possumus,  
qua nobis quidem profint, alteri verò nihil nocitura sint. VI.  
clem.

Clem. un. de homicid. ibi: qui mortem alicet vitare non valens. VII.  
Const. crimin. Caroli V. art. 140. ibi: so einer lemand mit einem töd-  
lichen Waffen oder Wehr überlaufft/ ansicht / oder schläget / und der  
benötigte füglich ohne Fährligkeit oder Verlezung seines Leibs/Lebens/  
Ehr und guten Leimuths nicht entweichen kan/ der mag sein Leib und  
Leben ohne alle Strafe / durch eine rechte Gegenwehr retten/ & art.  
142 ibi: mehr / so surgeben wird / der Todtschläger were den hende-  
tigten wol füglicher weise und ohne Fährligkeit seines Leibes/ Lebens/  
Ehr und guten Leimuths halben entwischen / darumb die Entseibung  
vor den verklagten Todtschläger nicht aus einer rechten entschuldigten  
Nothwehr/ sondern bößlich geschehen were/ und darumb peinlich ge-  
strafft werden soll. Unde satis liquet, eum, qui fugā salutem ci-  
tra vitæ dispendium querere & servare possit, vim vi repellere  
non posse, multò minus invasorem trucidare. VIII & ultimo  
huc faciunt exempla Salvatoris nostri DN. JESU CHRISTI,  
qui cum quereretur ab Herode, auffugiens in Ægyptum la-  
tuit, ibi per septennium. Matth. 2. vers. 14. Sic etiam cum à Ju-  
dæis lapidibus peteretur, exeundo è templo fugā se salvavit.  
Job. 8. vers. ult. c. 1. C. 23. q. 3. in pr. quibus omnibus optimè re-  
sistere potuisset, nisi fugā arreptā saluti sua consulere consuli-  
tius judicasset. [Carpz. pr. crim. p. 1. q. 30. n. 57. & prelaudatus DN.  
Theodoricus, d. coll. & d. disp. lit. E. Di&lis N. O. I quod fugere  
sit periculum & lapsus periculum faceret, ob eamque ple-  
rumque invasor animosior & audacior reddatur & fugien-  
tem acriori & vehementiori incitatione insecletur. Resp. fu-  
gam suadere periculosam, nec unquam nostra mens fuit, sed  
eam tantum, cuius beneficio quis in discrimine vitæ nondum  
constitutus periculum evadere & effugere possit. Aliás si ma-  
luerit adgressorī resistere, eumq; interficere, non est, ut rea-  
tum vindictæ & transgressi moderaminis effugere, seq; ejus  
exceptione tueri & à pœnā liberare queat. Veluti si quis præ  
foribus suis stans adversarium minas spirantem ad se tendere  
videret, illumq; occlusō ædium suarum ostio arcere posset,  
nec faceret, sed opperiendo eum resistere coram, seseq; de-  
fendere adgressorēm q; occidere maller, hunc moderamen in-  
culpatæ tutelæ excedere, adeoq; ob excessum pœnam incur-



rere quis non videt? Satis enim, inquit Donellus in comm. ad l. n.  
6. C. unde vi, septis suarum edium defendebatur, ut, si quid præterea  
fecerit, intelligatur non tuendi sui causâ fecisse, quod necesse non erat  
sed ulciscendi. N. O. II. quod Leges permittant, ut aliis, si vim  
patientur, succurramus. Erg: violentiam effugere non decet.  
Resp. & hoc argumentum fidelio nititur fundamento. Quæ  
enim consequentia? alteri vim injuste patienti succurramus.  
Ergo nobis, si saluti nostra fugâ consulere possumus, fugere  
non licet. Quando enim fugam arripiendam dicimus, lo-  
quimur de eo; qui vim patitur, non verò de eo, qui alterum  
vi eripere succurrendo potest. Verè enim in justus esset, qui  
proximum in vita periculo constitutum auxilio destitueret,  
cum tamen posset. At talis non esset, qui periculum sibi im-  
minens fugâ avertere posset. N. O. III. l. 3. ff. de J. & J. & d.  
l. 45. §. 4. ff. ad L. Aquil. quæ leges vim vi repellere volunt, quod  
fugâ & pedum celeritate non sit. Qui enim fugit, se non  
defendit; sed vi contrariâ oppositâ. Resp. leges legibus esse ex-  
plicandas. Nec enim nos negamus, vim vi repellere licere,  
verum non quamlibet, sed eam tantum, quæ cum dispendio  
vita conjuncta est, nec aliter, nisi adversarius trucidetur, e-  
vitari potest. Inscripta enim cordibus nostris lex est: non  
occides, quam extra summam & urgentem necessitatem trans-  
gredi unusquisque merito religioni ducat. N. O. IV. l. 1. C.  
unde vi. ubi ille inculpatæ tutela moderatione uti dicitur,  
qui ad defendendam possessionem consistit, & illatam vim  
propulsat, non verò qui fugit. Verum Resp. cum Donello ad d.  
n. 8. Dist. inter defensionem possessionis & persona. Hæc  
enim etiamsi fugiat, se tamen defendit suæq; saluti consulere  
potest; at non ita in possessione se res habet. Eam enim, cum  
rerum justitia nostra fugâ sit adnexa. Zuanmet. d. tr. tripart. de-  
fens. part. 2. n. 23. & possessionem non defendere dicatur, qui  
desertâ eâ fugit, defendere aliter non possumus, nisi in eâ no-  
remur, vimq; ab eâ propulssemus. N. O. V. nostræ adsertio-  
ni, fugam esse ignominiosam. Erg. non esse arripiendam.  
Resp. enim vulgo quidem fugam timiditatis signum vitiique  
yexillium & fœminini genii ac ingenii iudicium videri, sed an  
redat

recte hoc fiat de eo adhuc sub iudice lis est. Non enim quod fit, sed quod fieri debet, est attendendum. Quomodo enim ignominiosum & probosum esse potest, quod pietati Christianæ, proximi dilectioni & religionis candori non repugnat? quodq; ad conscientię tranquillitatem facit & apud bonos & honestos viros famam non pragravat. Deinde Resp. ignominiosam esse quibusdam, non tamen omnibus personis, quales sunt MILITES, qui contra disciplinam militarem, militiaq; Sacramentum ex acie fugam capesunt & commilitones suos in extremis periculis constitutos deferunt. l. 6. §. 3. ff. de re milit. SERVO, si dominum in vita periculo relinquat. l. 1. §. 31. & 35. l. 19. ff. de Sto Sylan. & Claud. VASALLO, si in persona suum dominum dimiserit & cum eō non laboraverit. l. FF. 21.

## XXVII.

Quando verò fugam, si fieri posit, dicimus arripiendam, nobiles non excludimus, nec inter hos & plebejos ratione fugæ differentiam facimus I. quia defensio ut & moderamen ejus Juris naturæ & gentium est, uti tb. 7. & 8. probavimus. Ea verò, quæ Juris naturalis sunt, omnes homines indifferenter tangant. l. 9. ff. de J. & J. quod non fieret, si plebejus fugere, nobilis verò resistere deberet. II. quia defensio non ex personarum qualitate, sed potius offendentis & aggressoris factio estimanda est. III. quod utrinque pares rationes militent. Ubi ergo eadem est ratio, ibi quoque idem Jus esse debet. IV. Quia Leges nostræ nullibi inter plebejos, rusticos, aliasve leves personas, & inter nobiles & superioris subsellii viros distinguunt, sed generaliter indefinitè & indistinctè omnes loquuntur. Lege autem non distinguente, nec nostrum est distinguere. Erubescimus enim, inquit Justinianus in Nov. 18. c. 5. sine Lege aliquid agere, vel loqui. Nec ullum faceret nobis negotium, d. Conf. crim. Carol. art. 140. ibi: ohne Fähigkeit seines Leibes / Lebens / Ehr und guten Leimuths. In quibus verbis Ehr und guten Leimuths quidam magis adulacionis, quam veritatis studio discrimen ratione fugæ inter nobiles & plebejos fundatum esse adserunt. Verum Resp. DN. Theodor.

dor. d. coll. crim. disp. ii. tb. 5. ferè circa finem. Non possumus  
ad sensum nostrum salvâ conscientiâ & pietate egregiis, illis  
adulatoribus præbere, qui in hoc articulo inter nobiles a-  
liasq; egregias personas & inter rusticos & plebejos discrimen  
nobis obtrudere conantur. Tum quod hæc distinctio,  
uti dictum. & contra leges & contra charitatem Christianam  
imò contra ipsam Carolinam constitutionem, ad quam tan-  
quam ad sacram anchoram confugiunt, currat. Tum quod  
magis sit divinatoria & adulatoria, quam vera. Tum, quod  
hoc modō Carolo mens planè alia, quam præ se tulit, affingat-  
tur. Prædicta enim verba absque dubio intelligenda veniunt  
de iis, qui ratione potestatis, datæ fidei & ex speciali obliga-  
tione vel affectione alteri periclitanti succurrere obstrici &  
devincti sunt. Qualis est servus, cui, uti dictum, comprehensi-  
bile omnino est, dominum suum in vita periculo constitutum  
relinquere. l. 1. §. 31. & 35. l. 19. ff. ad Sen. Sylan. Vasallus, cui  
probrosum, domino suo periclitanti non succurrere, c. un. pr.  
l. FF. 17. c. un. §. si quis. l. FF. 21. c. un. §. item, qui dominum. 2. FF.  
24. aliiq; , qui proximo, socio & amico in dubio salutis di-  
scrimine constituto non subveniunt, sed cum dedecore fugi-  
unt, eumq; derelinquent. can. 7. C. 23. q. 3. Carpz. pr. crim. part.  
l. q. 30. n. 62. Præterea isthæc verba verificantur & suum ope-  
rantur effectum in marito & parente adulterum & stuprato-  
rem in ipso opere & turpitudine deprehendentibus, quibus  
utrisque, nisi lenones audire velint, probrosum esset & turpe,  
adulterum & stupratorem armis in ipso impetum facientem  
relinquere statim & auffugere. Vid. d. DN. Theodor. d. disp. ii.  
tb. 5. lit. E, infine. & Bocer. d. tr. c. 10. n. 53. circa fin. Urgent qui-  
dem dissentientes, grande dedecus cordatum & nobilem vi-  
rum fugiendo committere, & ita apud graves & honestos vi-  
ros irreparabile, (si Diis placet) famæ jaqturam facere. Ve-  
rum apud hosce famam planè non prægravari (quicquid et-  
iam vulgus bonis illud invidum contra statuat) evincit ratio.  
Hi enim ea demum veræ virtuti & laudi adscribunt, quæ cum  
pietate, cum Christianâ proximi dilectione, & cum religionis  
candore non pugnant. Tale verò quid est fuga & factum  
fugientis. Eò enim se & proximum incolumem servare &

ab

ab effusione sanguinis humani abstinere studet. Et demus ipsi maculam quandam adspergi. Homini tamen Christiano magis convenit, levem famæ maculam & quidem ex vtilgi duntaxat opinione (nam apud verè prudentes talis fuga nullam planè famæ importat maculam, teste *Honorius illustr. ad Inst. controv. disp. i. ad ser. 13.*) sustinere & conscientia suæ consule re, quam eam, pro tantillo honoris conservando, sanguinis humani effusione miserè sauciare & cauteriatam reddere *Harprecht. ad d. S. Inst. de publ. jud. 5. n. 90.* Licet enim inquit *D.N. Theodor.*, inimicum suum peremerit, suas tamen manus humano sanguine polluit.

XXVIII.

Sistimus nunc tertium *Obrechtii* notabile, quod est: PRO PULSATIO AD OFFENSIONEM PRÆCEDENTEM REGUL'ARI NEC TERMINOS EXCEDERE, SED INTRA EOS SUBSISTERE DEBET. Cum enim, ut supra dictum *th. 22. in fin.* propulsatio semper habeat respectum ad offensionem præcedentem & lex nostra defensioni tum demum faciat locum, si vis atq; injuria, h.e. offensio violenta vel injuriosa præcesserit. *d. l. 3. d. l. 45. §. 4. ff. ad L. Aquil. & d. l. 1. C. unde vi.* sedulò attendendum, ut intra cancellos permaneat, nec in vindictam denegeret. Circa hoc autem notabile queritur: *An ad legitimam defensionem requiratur armorum paritas?* Quod negamus. I. quia omnes nostræ leges generaliter & simpliciter nulla ratione parium armorum habitâ loquuntur. *d. l. 3 ibi: quod quisq; ob tuelam corporis suis fecerit, jure fe offisse existimat & l. 3. C. ad L. Cornel. de sciar. ibi: ad se venientem gladio repulerit, non ut homicida tenetur.* ubi ergo leges non distinguunt, nec nos distinguere debemus. *l. 8 ff. de publ. in rē aet. II.* quia vim vi repellere omnia jura & omnes leges permittunt, idq; in continentis fiat, necesse est. Paria a. arma, nisi quis in promptu habeat, parari in continentis nequeunt. Quocirca secundum *Bl.* nec adeō curemus æqualitatem, ubi non possumus evitare necessitatem, utpote que facit excusabile & punibile, quod per se tale non est. *Pralaud. D.N. Theodor. d. disp. & th. lit. C. III.* quia valde esset absurdum arbitrio percussoris permittere, quod armorum genere se tueri debeat, id quod fieret, si paritas armorum necessaria esset & ad gressu pluribus armis instrudo, quod se tueri velit, non foret liberum. Et sane, si non nisi paria multa.

arma ad defensionem hanc nostram requirerentur, non posset non invasus imparibus armis instructus arma imparia abjicere, & si fugere non vacet, vim sustinere & suæ saluti invadentis salutem anteponere, quod periculi, injustitia & stultitia plenum imò & contra ipsam naturam esset. Cumq; IV. infultus ut plurimum inopinatò fiat, nec insultatus paria arma, quibus insultanti plerumq; benè instructo resistere possit, in promptu semper habeat, defensio autem omni jure permisit. d. l.3. non video, qui ea ipsi, quibus, licet firmioribus & cunctioribus, instructus vim imminentem repellere valeat, delegari queant. Quod n. sui tuendi causâ fit, impunitum est, & quod jure permittente fit, pecuniam non meretur. l.4. C. ad L. Jul. de adult. Nec V. de imparitate armorum conqueri habet. Lazarus n. suæ temeritati & stultitiæ adscribat, quod armis fortioribus instructum vilioribus armis adgrediatur. VI. Paritatem armorum contra ipsas leges nostras esse, evincit d. l.52. §. 1. ff. ad L. Aquil. ubi inter tabernarium & furem nulla conspiciuntur paria arma, & tamen defensio reputatur justa. N.O. hisce I. c. ui fama. 35. ibi: dum tamen non amplius eorum violentia se extendet, quam defensio & rebellio exigit. X. de sentent. excomm. Ex quibus inferunt, ut si armis vis inferatur, iisdem armis repellatur & si sine armis injuria fiat, aquæ inermis se defendat. gl. in l.1. C. unde vi. Verum Respondemus: nec nos negamus proportionem in propulsando observari oportere, & quantum possibile, respectum ad offensionem s. cum s. sine armis factam habendum esse. Id tamen eò restrictum nolumus, qs. præcisè & simpliciter in defensione necessariâ paritatem armorum statuamus. V.g. ut pugione percussus, pugione necessariò nec alio armorū genere se defendat, sed ita tantum, ut paritatem armorum potius geometricâ quam arithmeticâ proportione & ex circumstantiarû qualitate diligenter inspectâ & persensâ, quas JCtus in l.16. ff. de pen. re censet, censemus. Quò casu, si quis subitò invaditur & ad gressor longè robustior & viribus fortior sit, quam invasus, invasum utiq; si vita periculum superimminet, armis inermi resistere optimò. Jure posse Doctores statuunt. Vid. Carpz pr. crim. p. q.30. n. 19. N.O. II. c. 18. vers. si verò quemadmodum X. de homicidio. ubi Sacerdos, qui prius percussus à sacrilego ipsum.

ipsum ligone & quidē in capite repercussit, à pœnā homicidii  
excusari non videtur. Quod cap. itidem paritatem armorum  
suadere videtur. Resp. a. d. cap. planè non loqui de paritate ar-  
morum, sed tantum de excessu moderaminis inculpatæ tutelæ.  
Quando n. Pontifex improbat instrumentū, illud non quat. in-  
strumentum improbat, sed quat. à sacerdote excessus eō factus  
est. Quia enim sacerdos fortè à sacrilego pugno per cussus mox  
eum ligone utpote qui gravis levem non solet plagam inferre,  
& quidem in capite repercussit, in quo de modicō etiam i. c. tu  
quis lethaliter solet locdi, hinc vindictæ potius sumenda, quam  
violentia propulsandæ causâ hoc fecisse videtur, cum quod  
levius & non tam grave si. noxiū instrumentum absq; pericu-  
lo sumere; tum quod mediocrem plagā mediocri potuisse refre-  
dere. N:O. III. l.1. §.27. & l.3. §.9. de vi & vi arm. ubi arma armis  
opponi debent. Resp. cum Donello ad d.l.1. C. unde vi n.7. hoc non  
ita dici, quod adversus inermem non licet omnino nos armis  
defendere, si quid ad tutelam necesse sit, sed hoc tantum, quod  
non semper licet. Non n. semper necesse est. Si ergo adversari-  
um sine armis invadentem prohibere aliter non possumus, ne  
ad nos perveniat, nisi arma ad manus sumamus, recte armis ut-  
timur, cum aliter nos tueri non possumus, idq; naturali jure  
septum contra se à contrario sensu argumentum non admitte-  
re ait. Salomon. in repet. l.3. ff. de J. & J. n. 9.

XXIX.

Verū enim verò, cum defensio plus in factis quam jure  
consistat, nec defensor si. propulsator lateram in manu habeat,  
ut reverberare ad certam mensuram vel se ad æquilibriū tueri  
possit, & hinc ob factū & circumstantiarum multiplicitatem  
& varietatem de eā certa regula tradi nequeat. Bl. in d. l.3. n.4.  
arbitrio judicis committendum duco, ut tanquam vir bonus  
exploratis circumstantiis & expensis conjecturis judicet, an  
quis in meris inculpatæ tutelle terminis steterit nec ne. Vid. Pe-  
rez. in tit. C. ad L. Cornel. de sicc. n.36.

XXX.

Restat, ut quem in finem defensio suscipiatur dicamus;  
Quemadmodum verò unius rei duo fines esse possunt, prima-  
rius & secundarius; ita & defensionis nostræ duplex est: principa-  
lis

D  
S  
E

lis & minus *principalis*. *Ille* est tutela corporis proprii & aliorū. *Idem*  
3. *& aliis sibi text.* Ideo enim quisq; injuriam propulsat, ut se suos  
& sua tueatur. *Hic* vero, qui præter omnem intentionem defen-  
dantis fit, est occisio aggressoris. *Dum* n. invasus nullā evadene-  
di copiam sibi supereffe, sed suam salutem ab oppressoris inte-  
ritu dependere videt, præter intentionem primā eō rem suam  
dirigit, ut invadentem è medio tollat, sicq; se & propriā vitam  
conservet.

XXXI,

*Fine* rectā viā in sequitur effectus, qui itidē duplex: vēl  
*principali*, qui circa salutem propriam & aliorū conservandam  
occupatus est; adeò, ut hanc defensionē prætendens omni jure  
tutus sit, nec ullam mereatur pœnam. *d.lz. l.45. §.4.* ibi: *innoxii*  
*sunt ff. ad L. Aquil. constit. Carol. crim. art. 139.* ibi: *niemand nichls schul-*  
*dig. & ibi: ohne Straff. vēl accidentarius*, qui cum multiplex sit, o-  
mnes a. accersere, instituti nostri ratio non admittat, unicū at-  
tingam, qui est occisio aggressoris. *Defensor n.* inquit. *Obrecht. d.*  
*tr. c. 12. n. 5. per se corpus vitam suam tueri cupit, at dum in hoc occupa-*  
*tur, interdum accidit, ut aggressorem suum interimat.* Reliquos vi-  
dere licet ap. *Vischer. tr. de duello improv. membr. 7.*

XXXII:

Paucis tandem adducemus, quomodo & à quo probari de-  
beat hæc defensio. Et cum in homicidio nudus legitimæ de-  
fensionis prætextus non sufficiat, sed cum tota vis hujus defen-  
sionis in probando consistat, valde necessaria sit probatio, di-  
cimus, defensionem prætententē eā probare teneri, per *Conf.*  
*Carol. art. 4.* ibi: *Solegt das Recht dem Thäter auf.* Non n. sufficit  
allegare defensionem, sed ea, etiā probari debet. Neq; ab occi-  
dente allegata defensio præsumitur, sed potius innocentia  
præsumtio militat pro occiso. *Idcirco* cum defensio sit facti, fa-  
cta autē probari debeant, *l.5. C. de injur. non immerito reuis si ac-*  
*cusatus de homicidio probationis onere adstringitur.* *l.1. ibi:*  
*qui si probaverit. C. ad L. Cornel de sicar.* Diceremus tandem, quomodo  
probari debeat nostra hæc defensio. Verum cum latè de eā  
probanda egerit & *DN. Carpz. pr. crim. p. 1. q. 23. per tot. & DN. Petr.*  
*Theodor. in auct. diff. 7. th. 6. ir. C.* eō me remitto, & hæc vice bono  
cum Dño disputationis nostræ terminalia statuo.

F I N I S.





ULB Halle  
004 573 668

3



f

56.

V017



## Farbkarte #13



ENE VERTAT!

*G. 228. num. 27. 1656, 9*  
lisimi JCtorum in  
Ordinis consensu

reto

ESIDIO

olissimi, Consultissimi  
antissimi

JANNIS  
ICHII,

ntecessoris Juridi-  
Consiliarii Saxonici gravis-  
Scabinatus Adcessoris di-  
pore Decani spe-  
simi

ceptoris sui omni honoris  
etatem profe-  
di

EM NECES-  
AM

onoribus DOCTORALIBUS,  
iis consequendis

*Januarij, publicæ litera-  
ra sifit*

AROLUS Schalling/  
is Misnicus.

*G. 228. num. 27. 1656, 9*  
G. LVI.

